



Disputatio medica inauguralis de hydrophobia

<https://hdl.handle.net/1874/347228>

יהוה מצני
DISPUTATIO MEDICA
I N A U G U R A L I S
D E
H Y D R O P H O B I A .

15.

Q U A M,
DIVINO FAVENTE NUMINE,
Ex auctoritate Magnifici Rectoris,
D. HERMANNI van HALEN,

S. S. Theologiæ Doctoris, ejusdemque Facultatis in Inclytâ Academiâ
Ultrajectinâ Professoris Ordinarii, Verbique Divini ibidem in
Ecclesiâ Præconis,

N E C N O N

*Amplissimi Senatus Academici consensu, Nobilissimaque
Facultatis MEDICÆ Decreto,*

P R O G R A D U D O C T O R A T U S,
Summisque in MEDICINA honoribus & Privilegiis
ritè, & legitimè consequendis,

Publica eruditorum censura submittit

P E T R U S B A G G E R U S, Danus Coagiensis.

Ad diem 19. Junii, hora prima pomeridiana.



TRAJECTI ad RHENUM,

Ex Officinâ FRANCISCI HALMA, Academiae
Typographi, clō Ioc LXXXIX.

DISPUTATIO MEDICA
DE

HYDROPHOBIA

DISECTIO

DE

CAUSIS ET SYMPTOMATIBUS

HYDROPHOBIAE

AB

FRANCISCO HALLMANN

PHYSICUS

ET

GRADU DOCTORATUS

IN

MEDICINA

AB

UNIVERSITATE

FRANCISCA

EX OFFICIO FRANCISCI HALLMANNI, ACADEMICI

PHYSICI, CL. JO. LXXIX.



PROLEGOMENA.



*Q*uod si innumera venenorum genera hominibus necem minitantiā proponere sibi quispiam in animum induxerit, quantum quæso ille tempus tantæ librorum faragini conscribendæ impenderet, ne dicam esse impossibile. Tot enim occurrunt venena oculis rationique latentia, ideoque explicatū difficillima, quot quæso homines ab aëre attrahunt noxia, quæ naturali balsamo iterum oppugnantur, quod si verò venenum fortius agit manifesteque se prodit alexipharmacis adhuc opitulamur naturæ. Ast ut dantur morborum alii qui citissime periodum absolvunt, alii verò longo temporis tractu demum eventum ostendunt. Ita & venenorum quædam ocissime occidunt, quædam tardius, quædam vero adeo incertè procedunt, ut cum hoste dolo malo inducias componente non iniquè compares. Facem nobis præfert venenosum istud animalium genus tarantula, non tam oris septentrionalibus quàm Apuliæ montibus cum ex-

perto damno notum, Historici enim Medicique uno quasi ore consentiunt, istius veneni hanc esse naturam, ut licet tarantati parvum quidem ex ictu parsentiant dolorem, postea tamen gravissima patiantur symptomata, utpote tristitias, lacrymas, saltus minus voluntarios, adeo ut scenem 94 annorum scipioni suffultum tardè procedisse, tarantulâ verò ictum capreoli ad instar saltasse prodit Epiphan. Ferdinand. Histor. 81. pag. 254. Et quovis revertente anno plurimi choreas redintegrare cogantur. Sed ut nullum in rerùm natura reperitur animal, cui non superius aliud sagax Natura proposuit, ideoque generavit aliud animalculum ad vespæ similitudinem proxime accedens, quod tanquam infestus hostis tarantulas insidiando, occidendo undiquaque quæritat, hoc animal ab incolis Crabonem vocari annales referunt, ita etiam summus Naturæ Conservator funesti hujus animalculi veneni aliorumque morborum Domatores excitavit Medicos, qui sobrias nimis istiusmodi Choreas suavi præter alexipharmacis, musica demulcere nõrunt. Ast relicto hocce Borealibus non ita obveniente affectu, aliud genus Veneni a cane scilicet rabido communicati attingamus, necessum est.

DIS-



DISPUTATIO MEDICA
INAUGURALIS,
DE
HYDROPHOBIA.

THESIS I.



St itaque Hydrophobia affectus præter naturam & sæpe quidem delirium à veneno quodam peculiari in animali genito & homini communicato, cum vehementi liquidorum omnium & aquæ potissimum abominatione.

I I.

Quatuor circa hunc affectum præprimis Consideranda veniunt. 1. Tangens scil. Dens

A 3

cani-

6 DISPUTATIO MEDICA

caninus vel saliva, licet enim è morfu aliorum etiam animalium rabiem illatam esse plurimi testantur, funesti tamen hujus affectus causa plerumque canis existit, in quo Spiritus atque humores nimio naturalis velut alembici calore attenuantur, una cum particulis crassioribus exaltantur qui deinde in ductus salivares amandantur, iique salivæ commixti illam subigunt, fermentant, bullas cient cum spuma ampullosas, sal denique, quo cibi perficiebantur, corrumpunt. 2. Corpus quod attingitur. 3. Materia seu qualitas contagiosa, quæ communicatur. 4. Locus in quo fit communicatio.

I I I.

Post acceptum & communicatum hoc venenum, alii citius, alii tardius in rabiem aguntur, alii quidem post paucos dies, alii demum post longum temporis tractum, veneni effectum percipiunt: Exempla Hydrophoborum plurima proferunt Auctores, quorum quidam septendecim ut Brasavolus *lib. 2. Aph. Comment. 23.* quidam octodecim ut Guai-

I N A U G U R A L I S. 7

Guainerius in *tract. de ven. cap. 12.* Quidam quadraginta integros annos ut Alzaharavius rabidi canis venenum sub cineribus quasi occultatum delituisse referunt, hoc tamen vi occulta veteres probare conantur.

I V.

Ast rejecta vi occulta, acceptaque sanguinis circulatione statuimus, vulnere parti canis morfu adacto, saliva illa seu particulæ fermentativæ proferuntur sensim in arterias, ubi pro viribus suis & partis affectæ ratione serius ociusve novos motus conciliare valent.

V.

Ne verò periculum sit in mora, statim post acceptam cladem si fieri potest considerandum erit animal, præterea tritas nuces juglandes super vulnus tempore sufficienti relictas, Gallinæ objiciunt. Si enim vulnus fuerit venenatum, perit Gallina, alii farinam cum sanguine vel purulenta materia miscent. Rhases & Avicenna medullam panis vulneri affricatam & sanguine emanante infectam cani
devo-

8 DISPUTATIO MEDICA

devorandam objici jubent, si enim Canis oblatam aufugerit; aut post commesam in rabiem agatur, vel moriatur. Signum adest veneni.

V I.

Signa ergo incipientis rabiei sunt: Anxietas, iracundia sine ratione, ventriculi gravitas, & querela de aëre inclementiori etsi serenum cœlum fuerit, corporis totius gravitas, vigiliæ & somnus perturbatus. In parte commorsa, etsi ulcus consolidatum sit, dolor quidam percipitur, &c. Confirmatæ vero sunt: Membrorum distensio, faciei rubor, anxietas, ægrique spumantes torvis oculis aspectuque horribili obvios adspiciunt dentibusque appetunt, liquida omnia demum detestantur.

V I I.

Medicus itaque curam aggressus cucurbitulas vel cum vel sine scarificatione, ne alia obsint parti affectæ imponat, ut venenum extrahatur. Si enim vulnus sit exiguum scarifi-

can-

I N A U G U R A L I S. 9

candum contra verò censemus si amplum vel in parte quadam quæ istiusmodi operationem non admittit, alias imponantur sanguisugæ, quæ sanguinem veneno infectum exsugunt. postea applicentur medicamenta valide attractiva, quæ ex allio, stercore columbino, sinapi, nuce juglandæ cum fermento & sale trita item cum melle & theriaca mixta apponantur. Vel,

℞. *Picis* ℥j.

Aceti acerrimi ℥ix. *In tenellis verò corporibus vini tantum.*

Opopanax. ℥iij.

Opopanax prius in Cyathis 4. præscripti liquoris dissolvitur qui superest cum pice coquitur, cui ubi satis decoctum est, Opopanax additur, & coquantur, cavendo ne efferveant, hinc factum emplastrum parti applicetur.

V I I I.

Nimis cito minus tuto occluduntur vulneris labia, si Medicus enim consolidationem nimis præmaturet, lupum in stabulo includat.

B

dat.

10 DISPUTATIO MEDICA

dat. Servetur igitur vulnus apertum tantum temporis quantum requiritur, & teste Sennerto 40. dies, sed vix certum præfixumve tempus præscribi potest, sed ratione vulneris & circumstantiarum variari debet, cavendo ne quædam in corpore subsideant veneni reliquiæ. Interea Diaphoretica & alexipharmaca non sunt negligenda.

I X.

Si verò Patiens sit robustus & ab operatione non abhorreat, expeditissima via est, adhibere cauteria actualia, quæ venenum absumunt & diuturnum ulcus, per quod virus effluat, relinquunt. Ustione peracta, danda opera, ut eschara festinanti manu amoveatur, venenumque per ulcus evacuari queat. Nam crusta ulceri inhærens in causa esse potest cur venenum retineatur & ad corporis interiora penetret.

X.

Vulgus ad clavem templi tanquam ad sacram anchoram confugit, & quidem non ini-

inique, modo ignitam satis, quia cauterium in hoc affectu, si locus non repugnat, videtur tutissimum, sed suspicio vulgi taxanda venit, eo quod plurimi sibi persuasum habeant, clavem hanc ob sanctitatem quasi plurima præstare posse: statuendum verò existimo aliam clavem æque ac illam in defectu cauterii secundum artem fabricati non incongruè cum fructu in usum vocari posse, si extremitas ejus à forma cauterii non multum abludat, modo absit suspicio, sed si cauterium actuale aptius formatum haberi potest istud eligendum censeo.

X I.

De Venæsectione & purgatione forsan hic etiam aliquid dicendum erit, quoniam in omnibus fere morbis purgantibus sanguinemque evacuantibus malum eradicari haud pauci credidere, attamen in morbis venenatis saniores Practici ista ut minus tuta omittunt, & fatendum certe in cæteris etiam laxantia fortioribus Catharticis, Diaphoretica phlebotomiæ sæpe numero præferenda esse, modo

12 DISPUTATIO, MEDICA

non repugnant robustiora & plethorica corpora, quæ fortiora forsitan fugitant remedia, interdum enim magnis nodis magni quærendi sunt cunei.

X I I.

Quod si verò malum jam aliquamdiu latitans virulentiam suam primis prædictis symptomatibus ostendere incipit, cito illi remediis convenientibus utpote alexipharmacis & diaphoreticis occurrendum est. Ne postremis Symptomatibus malum confirmatum desperatum evadat.

X I I I.

Inter specifica commendantur pulvis Cancrorum fluriatilium & succus caparum

Vel

℞. Rad. Gentianæ

Valerianæ an. ʒiʒ.

Fol. consolid. min.

rutæ siccæ

pulegii an. Mj.

Cancrorum calcinator ʒi.

Co-

Coquantur cum vino, & expressione facta, dentur patienti mane ℥ij. Quod si vero fortius arideat decocto hoc uti poterit tanquam vehiculo pulveris alicujus alexipharmaci cum specificis mixti :

X I V.

Morbus hic est acutus, venenumque contumax, ideoque nec lenta remedia nec segnes Medicos expetit. Quod si vero eo perniciēs processerit, ut aqua & liquidorum metus incesserit. Galenus Medicamento suo ex

Thure part. j.

Gentianæ v.

Cancr. fluxiat. x.

Patientibus animum addere videtur, alique immersionem in aquam frigidam præcipue marinam suadent. Ast Practicorum plurimi his illique istud polytryleton Ovidianum occinunt.

Tollere nodosam nescit Medicina padagram

Nec formidatis auxiliatur aquis

COROLLARIA.

I.

Rabies Canina est morbus contagiosus, Morbus vero a veneno viperæ productus potius dici debet venenatus quam contagiosus, eo quod venenum illud viperæ sit connaturale & non morbificum.

II.

Morbus malignus & contagiosus sese mutuo excedunt, nam pestis est morbus malignus & contagiosus simul, malignus non contagiosus potest esse aliqua tertiana. v. g. habens Symptomata insolentiora quidem, sed non contagiosa, morbus contagiosus non malignus, potest esse scabies.

III.

Ex amore amentia, licet sicco pede à plurimis Practicis prætereatur, & illam ut inter humani corporis affectus non annumerandam omitunt,

tunt ; quantas tamen quandoque edat strages,
testantur exempla Samsonis , Herculis Didonis
& aliorum. De Remediis amoris Ovidius Na-
so , hæc in arte nemini cedens quam plurima
proponit. Medici quoque non nulli varia ex-
cogitavere. Quibus tamen omnibus si quem-
piam philtris aut poculis amatoris inescatum
curare tentes , citius vitam quam malum era-
dicabis. Quin nisi in ipso principio Vomito-
riis & Alexipharmacis &c. Huic affectui
dicatis egro succurras , oleum & opera perdi-
tur.

I V.

*Vix sufficienter probari potest Adamum & Evam
habuisse umbilicos , quia , fuerunt a Deo crea-
ti , non vero matri alligati.*

F I N I S.

tant; quantum tamen quodlibet edat fructus
responsum est. Hic est Libanus
G. Alabam. De R. med. in Ordine N.
Ios. hoc in arte utrum colere quam plurimam
proponit. Medici quippe non nulli ratio ex-
cogitare. Quibus tamen omnibus si quem-
quam plures aut potius multos in secatum
curare tentet, citius ut sua quam ratione tra-
dicat. Quia ut in ipso principio vomito-
ris & Alabam. G. Hinc effectus
hic in agro fuerit, oleum & operari de-
bit.

I. V.

Ne suffocet prope fere Alabam. G. Liban.
habisse medicos, quia fuerunt a Deo crea-
ti, non vero miri alligati.

F I N I S